

laritatem quandam reperio, quae omnia perturbat, et non solum efficit, ut figura Conicam Sphaericas non multum superent, sed etiam ut sphaerica multo minus praestent quam praestarent, si dicta refractio esset uniformis.

Itaque in Dioptricae partem fixi non ut protraherem de integro, sed tantum, ut hanc de natura lucis proprietatem rimarerem primo, deinde ut ostenderem quantum ex hac proprietate perfectio Dioptricae impeditur, et quo pacto incommodum istud, quatenus natura rei sinit, devitetur. Ubi nonnulla proferam quae ad Telescopiorum, iuxta et Microscopiorum, tum Theoriam tum Praxin spectant; ostendens quod Optices summa perfectio (praeter opinionem receptam) ex Dioptrica et Catoptrica mixtis composita est. De intra discrimen colorum et eorum generum a Prismaticis, et corporibus etiam coloratis fuisse explicabo.

2. Quod omnium radiorum non est eadem refrangibilitas.

De luce itaque comprehensum habeo, quod radij quasi quoad quantitatem refractionis ab invicem differunt: Ex ijs qui omnes habent eundem angulum incidentiae, alij angulum refractionis aliquanto majorem alijs habebunt. Plurioris illustrationis gratia, sit  $EFQ$  superficies qualibet refringens puta vitrea; Et ducatur quavis  $OF$  huic occurrens in  $F$ , et cum ea efficiens angulum  $OFE$  acutum: Concipi etiam radios solaris per istam lineam  $OF$  sibi continuo successivos fluere, ita ut alij post alios in punctum  $F$  impingant, ibidemque in medium densius refringantur. Jam ex opinione recepta hi radij eandem habentes incidentiam, eandem quoque omnes refractionem habere <sup>debent</sup>, puta in lineam  $FR$ . Est contrarium comper tum habeo; scilicet quod postquam refringuntur, divergent ab invicem; quasi quidam refringerentur in lineam  $FP$ , alij in lineam  $FQ$ , et alij in lineas  $FR$ ,  $FS$ , &  $FT$ : ac alij etiam innumeri per spatia istis intermedia, ut et ultra citraque nonnulli pervagantur; prout radius quilibet ad refractionem majorem minoremve patiendam sit aptus. Invenio praeterea, quod radij  $FP$  maxime refracti colores purpurios producant et ~~caeruleos~~ illi  $FT$  minime refracti rubros, qui autem hisce intermedij pergunt  $FR$ ,  $FR$ ,  $FS$  &

